



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

317. Coadiutoria cum futura successione in dignitate, an sit dignitas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Au tituli, nec respectu possessionis; quamvis jus habeat quoddam noviter creatum circa facultatem coadjuvandi. Fagn. *loc. cit.* & n. 66. Et si per Coadjutoriam cum futura successione titulus & jus in beneficio Coadjuti daretur, duo forent ejusdem beneficii possessores & intulati. Coadjutus enim beneficio suo non privatur, sed verum ejus nomen & jus penes eum remanet, etsi sit impotens illud administrare. Tondut. *cit. n. 4.* & 5. non obstante *c. tua nos. de cler. agror. ubi: ab administratione debet removeri.* Quia intelligitur de administratione, non quod ad potestatem, sed quod ad exercitium, à quo Rector leprosus ob scandalum & horrorem est arceus, & Coadjutor subrogandus. Castrop. *loc. cit.* Garc. p. 4. c. 5. n. 5. & 6. citans gl. *ibid. v. administratio. n. 8.* Abb. *ibidem n. 4.* Suarez. *tom 5 de censur. d. 51. s. 2.* Navar. *cons. 1. de cler. agror. & c.* Uti idipsum, nempe Coadjutoriam non esse beneficium ex eo patet, quod per obitum vel cessionem Coadjutoris non vacet beneficium, sed solum per cessum vel decessum Coadjuti, unde & in literis Coadjutoria dici solet, quod, cum primum tale beneficium per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem Coadjuti, vel alio quovis modo, vacare contigerit, & sic eodem Coadjutoria officio cessante, conferatur & assignetur eidem N. & in corporalem possessionem illius & annexorum jurium & pertinentiarum autoritate apostolica inducatur & defendatur; & sic per obitum Coadjutoris non vacat beneficium, sed cesset coadjutoria. Gonz. *loc. cit. n. 65.* & seq. citans Put. *decis. 226. n. 3.* l. 3. ubi etiam n. 11. & 12. dicitur, quod in Coadjutoria dari non potest continuatio primæ juris & tituli, nec fictio non vacationis. Proinde jam Papa concedendo Coadjutoriam non providet absolute de beneficio, illud absolute conferendo, sed ad effectum providendi necessitati ecclesie. Barbof. *loc. cit. n. 51.* citans Burlat. *decis. 78.* tamen si Coadjutoria tales cum futura successione provisiones palliatas vocet Mandos. *in reg. de imperat. benef. vac. per obit. familiar. Cardin. q. 30. n. 3.* apud Gonz. *loc. cit. n. 47.* differt tamen ab aliis provisionibus canonicis, seu veris ac puris collationibus, quod per has acceptatas acquiratur provisio jus in re, etiam ante possessionem. Remouch. *cit. c. 8. n. 22.* Quamvis Coadjutoria uberior & efficacior sit electione & presentatione acceptatis in eo, quod licet & hæc conferant solum jus ad rem, non tamen ejusmodi jus producat effectum regularum Cancellaria, uti fit in Coadjutoria. Remouch. *loc. cit. n. 23.* Sic quoque Coadjutor talis fictus dicitur beneficiatus. Fagn. *loc. cit. n. 54.* citans Rot. *in Salamant. Coadjutoria 25 Junii 1593. coram Penix,* & Coadjutor Canonici Canonici fictus. Tondut. *loc. cit. n. 6.* Ventrigl. *loc. cit. n. 37.* Card. de Luca. *de Canonici. d. 6. n. 10.* Gonz. *loc. cit. n. 107.* ubi: Coadjutor vocatur Canonici fictus, & ideo Canonicis veris præferri non debet; cum semper verum ficto præferri debeat. Barbof. *loc. cit. n. 52.* citans Monet. *de optian. q. 8. n. 148.* Ludovic. à Saravia. *de jurisdict. ad-junctior. q. 29. n. 33.* Item Barbof. *de Canon. & dignitat. c. 29. n. 31.* citans Garc. p. 4. c. 5. *in addit. post n. 130. dub. 28.* & licet sedeat post omnes Canonicos, id tamen non est ex eo, quod sit Canonicus junior, sed quia non est verè Canonicus Barbof. *ibid. n. 33.* Videri quoque beneficium secundum quid, quatenus producit titulum preventivum seu habitualem & initialem, ut Put. *decis. 478. l. 2.* adeoque jus fictum in re operaturum plenos effectus demum per cessum vel decessum Prælati, ait Remouch. *c. 12. n. 4.*

*Questio 317. Coadjutoria cum futura successione in dignitate num sit dignitas vel Prælatura.*

**I.** Respond. primò, non esse verè dignitatem. Barbof. *de can. & dignit. loc. cit. 29. n. 31.* (ubi etiam ex Garfia subdit, propterea commissionem factam dignitati non transire in ejus coadjutorem, non solum, quando fuit expressum nomen proprium, sed etiam quando non fuit expressum) Ventrigl. *tom. 2. annot. 13. §. unico. n. 35.* ubi etiam, quod Coadjutor non possit eligi in Judicem synodalem aut etiam Apostolicum; quia non dicitur verè habens dignitatem.

**2.** Respond. secundò: Coadjutorem aliquem cum futura successione in Episcopatu non posse dici Prælaturam illius Ecclesie; quia Coadjutoria non dicitur beneficium sed officium, toto jure remanente penes Coadjutum: & licet Coadjutor per acceptationem Coadjutoria acquirat jus in re, nempe in ipso officio Coadjutoris, non operatur tamen jus tale, ut Ecclesia dicatur spectare ad Coadjutorem. Tondut. *qq. benef. p. 3. c. 194. n. 3.* Quemadmodum itaque Coadjutor dicitur Canonici fictus respectu illius Canonici Coadjuti, ita Coadjutor Prælati alicujus ecclesie dicitur Prælati fictus talis ecclesie: quod voluisse videtur Remouch. dum *loc. cit. n. 20.* inquit: vocant nonnulli Coadjutorem administrantem Prælaturam fictam, quasi habeat titulum pariter fictum.

**3.** De cetero num Coadjutor Prælati v. g. Episcopi, dici possit simpliciter Prælati verus ex hoc ipso officio Coadjutoria, in quo jus habet, meritò dubitatur. Pro negativa facit, quod sicut, qui nomine & loco beneficiati administrat beneficium, exinde non est aut dicitur beneficiatus, ita, nec, qui munia prælaturæ incumbentia exercet, seu Prælaturam alieno nomine, nempe ipsius veri Prælati exerceat, exinde non videatur dicendus Prælati. Pro affirmativa tamen stare videntur Remouch. *c. 12. n. 32.* ubi Coadjutor cum futura successione licet tantum respectu Coadjutoria admittit dicitur Prælati. Gonz. *cit. gl. 5. §. 9. n. 2.* ubi ait: Coadjutor est Prælati, & uti talis habet curam animarum, & n. 3. uti talis Prælati habet plenam & liberam administrationem, pro quo citat multos textus. Parisius quoque *de resign. benef. l. 7. q. 20. n. 17.* ait: Coadjutor ita (hoc est, pro cura animarum) *statu dicitur Prælati.* Pro quo citat Archid. *in c. quamvis. 7. q. 1. n. 6. gl. in c. 2. 7. q. 1.* Innoc. *in c. de rectorib. de cler. agror.* Verumtamen loquitur de Coadjutore creato Episcopo in partibus infidelium cum onere coadjuvandi Episcopum alium non merè titolarem, ut patet, dum mox subjicit: & omnibus notus est stylus vulgaris Curia. Nam quando datur Coadjutor alicui Episcopo, ille Coadjutor fit Episcopus in partibus infidelium, id est, nullatenentium, cum onere, ut coadjuvet. N. de quali Coadjutore etiam dubitari non possit, quin sit Prælati ratione characteris sui episcopalis, dubitari tamen ad hoc potest, num quæ præcisè Coadjutor Episcopi sit verus Prælati.

*Questio 318. Coadjutoria num sit resignatio, & subjiciatur publicationi.*

**I.** Respondeo ad primum, quamvis Coadjutoria cum futura successione imaginem referat resignationis. Remouch. *c. 8. n. 26.* Sitque in aliis quibus similis illi. Tondut. *qq. benef. p. 2. c. 1. §. 13. n. 21.* citans Cavalieri. *decis. 116. n. 4.* videaturque habere